



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Tertius. Quod Aspirationes non nimis multiplicatae, transeant in
contemplationem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

Aspirationes undè assumendæ, & quis ordo in eis seruandus sit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Sacra Scriptura indubiè, in Psalmis maximè aspirationum fœcunda est: præterea D. Augustini Soliloquia, & Manuale vsque adedè illis abundant; vt nemo sit, cuiuscunque tandem humoris, vocationis, vel instituti fuerit, qui non indè aliqua vilia desumere valeat. Caterum tanta est librorum aspirantium frequentia, vt faciliè quilibet suo ingenio satisfacere possit, si aliquem sibi eligere voluerit: optimum tamen est, istiusmodi orationes iaculatorias, vel ex alijs, vel ex seipso colligere, quæ magis ad mortificationem, & Dei amorem accendunt.

Ad aspirationis porrò ordinem quod attinet, ille in praxi omninò promiscuus est; nimia enim amoris fœcunditas, tanquam ignea flamma scintillas feruoris vndecunque prouenientes sufflammat, [nec attendit a quo ordine, qua lege, quavè serie, seu paucitate verborum ebulliat, dummodo ex hoc nullum sui sentiat detrimentum. interdum nec verba requirit, interdum nec voces omninò vllas, solis ad hoc contentus suspirijs. Inde est, quod Sponsa sancto amore flagrans, idque incredibili modo, sane pro captanda quantulacunq; euaporatione ardoris, quem patitur, non considerat, quid, qualiter eloquatur, sed quidquid in buccam venerit, amore vrgente non enuntiat, sed

eruclat. Per se enim ex intimis non solum cum non vis, sed & cum nescis, erumpit, euulsus potius quam emissus.] pro ordinario tamen aspirationis vsu consequenter dicimus,

Quod Aspirationes non nimis multiplicatæ, transeant in contemplationem.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quidam sermonibus pleni, & spiritu vteri sui coarctati, quasi b mutum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit, vsquè adeo in suspiria, gemitus, & sonos prorumpunt, vt paulò minus, quam sibiipsis anhelitum suffocare videantur; parum memores vicissitudinis humanæ, ac inconstantis naturæ, quæ cum modo diuina omnia quasi deglutire satagat, mox deindè eorum incredibilem nauseam experiatur, & hoc ipsum ex eo; tum quod eiusmodi nimia actiuitate animam; & corpus defatigent, tum quod naturalem choleram, sicuti cum hoc, vel illud indignè ferunt, indiscretè commouendo, propriæ interioritatis serenitatem conturbant: tum etiam quod ex modico adhuc progressu spirituali, præsentia Dei in statu aspirationis nondum continuari possit, absque interruptione, quæ faciliè accidit.

Aspirationes itaq; moderato feruore, & repetitione assumendæ sunt, vt scilicet postquam vnus aspirationis operatio, & gustus cessauerit, summq; præ-

a Bernar. b Iob. 32.

præstiterit, tum demum ad productionem alterius procedatur, alioqui seipsum quis facile excæcetur; sicut festinus sese perturbans apertis oculis quaerit, quod ante se habet, aut manu gerit. Sicut autem aliquando [a] meditatione eleuatur mysticus ad contemplationem; ita etiam, multoque facilius per aspirationes moderate sibi inuicem succedentes, in contemplationem transit; iuxta illud Prophetæ: *b* Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, vidit & commota est terra, ac si diceret, quando in cælo subitanæ illustrationes apparuerunt, & aliquoties visæ fuerunt, tunc in terra cordis humani admiratio cœlestium excitata, & reuerentiali intuitu aliquantò firmiter continuata fuit. sed firmum eiusmodi intuitum nondum diu durare, consequenter dicendum erit:

Aspirans quare faciliè distrahatur.

ARTICVLVS QVARTVS.

Postquam Aspirans aliquamdiu in suo exercitio moratus fuerit, non sine admiratione inueniet se facile distrahi, & facilius quidem, quam in statu meditationis; huius autem rei ratio est, quod meditans nondum actiuatus, tardo intellectu, & frigido affectu, paulatim proposita mysteria digerit, & idcirco tenacius suo instituto affixus maneat; Aspirationis autem tendentia, cum magna celeritate peragatur, si mysticus segnioris animi fuerit, illicò visum inter-

num ad euagationem pronum, liberum dimittet ad obuia quæuis: si nimirum aliam aspirationem non substituerit, cuius noua additione distractio cohibeatur, quæ alioqui ex malo culpæ originalis iniustitiæ, interruptionem parit. quis enim in primis annis, & adhuc plenus carne, & sanguine, spiritualibus solatijs ita Dei præsentiam intendat, vt pluries, dum inordinatus appetitus vigorosè aliò mouet, & Dei præsentia vix à longè afficit; aut quacunque tandem ex causa, vel negligentia, ad externa non dilabatur?

Sed longè aliud est externum quid menti præsentari ad videndum, & aliud cogitatione, aut complacentia inibi commorari. eapropter esto interruptio per cogitationem accidentalem inchoetur; si tamen mens, & affectus simul non abripiantur, at potius alia pia aspiratio substituat, non tam erit distractio, quam impertinentis cogitationis reiectio, & aspirationis continuatio; ita vt tum nõ propriè distrahatur aspirans. cum enim aspirationes multæ vnã duntaxat Dei præsentiam, aut fruitionem constituent; si mysticus vna aspiratione absoluta, dum aliam non tam faciliè efficacem inuenit, interea verò aliquam impertinentiam simul intueatur, attamen non absque aspirationis productione, hoc non esset distrahi, sed distractiones reijcere, & nouo actu, & tendentia Deo adhærere. nam cum [desideria secundum c aliquid habeant Deum,] rei impertinentis coëxistens

H 3

visus

a S. Bonau. 3. itin. ater. d. 1. *b* Psal. 96. *c* Bonau. 3. itin. ater. d. 3.